

testes hujusmodi in causa universitatis, seu Ecclesiae suae: simulque ratio n. 213. allata, seu quod ejusmodi « bona sint universitatis, non singulorum, » urget generaliter, ac indistincte; unde etiam indistincte testes de universitate sunt admittendi, et non tantummodo in subsidium. Accedit, verisimile non esse, quod quis velit pejerare propter jura universitatis: « Naturale quippe vitium est negligere quod communiter possidetur; » ut dicitur l. *Memimus*. C. « Quando et quibus quarta pars, » etc. lib. X.

226. *Solvuntur rationes dubitandi.* — Nec urgent rationes n. 223. in contrarium allatae. Nam in c. *Etsi Christus. de Jurejurand.* sermo est de juramento, quod monachi praestare timebant, ob verba Christi *Matth. v. 34.* dicentis: *Nolite jurare omnino.* Unde Papa, cum praemisisset, licite jurari pro re vera, atque exigente necessitate postea monachis dat licentiam jurandi, declarando per illa verba, « Deficientibus aliis testibus, » hinc intervenire veram necessitatem jurandi: per hoc tamen non negavit, quin etiam extra talem casum necessitatis possint membra communitalis in hujus negotiis testimonium ferre. Quinimo, cum istud jura proxime allegata indistincte concedant, in quod cit. c. *Etsi Christus*, habetur, est intelligendum juxta contingentiam facti, de quo ibidem fit mentio: vel, conformiter caeteris juribus, dictam illud oportet supplere per ly « maxime deficientibus aliis testibus; » prout supplendum censet Abbas d. c. *Etsi Christus*. n. 4. de *Jurejurand.* citans Hostiensem, et Speculator, tit. de *Teste*. § 1. n. 22.

227. *Solvuntur rationes dubitandi.* — Ad alterum patet ex dictis: nam allata ratio non est adaequata: imo praecipua ratio, cur quis possit esse testis in causa universitatis, non ea est, quia jus universitatis non est jus singulorum. Ad can. *Quamquam*. 14. q. 2. patet ex contextu verborum, ibi solum prohiberi, ne clerici in causis civilibus, seu instrumentis laicorum, extra casum necessitatis, testimonium ferant; de quo jam ex professo dictum est supra § 6. n. 182. et seqq. Ex hoc tamen nihil sequitur contra conclusionem.

228. *Testes de universitate, quando admittuntur in subsidium, plene probant.* — Resp. II. Etsi testes de universitate piene probent, quando admittuntur in subsidium, eo quod per alios veritas haberi non possit: nihilominus extra casum defectus aliarum proba-

tionum probabilis est: et magis inter doctores receptum, quod testes de universitate non sint omni exceptione majores, sed minor fides ipsis sit adhibenda; idque pro qualitate causae, et personarum, judicis arbitrio sit relinquendum. Prior pars est Abbatis cit. *Insuper*. n. 2. vers. *Ego putarem*. h. t. et Farinacii d. quaest. 60. n. 478. et 480. sub data distinctione concordantis extremas doctorum sententias. Fundamentum hujus desumitur ex c. *Tertio loco*. §. de *Probatione*, ubi testes de universitate admittuntur ad reprobandum instrumentum in casu, quo agebatur de gestis in capitulo, sicque alii testes haberi non poterant. Atqui ad reprobandum instrumentum requiruntur testes legales, et omni exceptione majores. Glossa fin. in cit. c. *Tertio loco*; Bartolus in l. 1. § *Si quis neget*. vers. « Quero, quid si in instrumento. » ff. *Quemadmodum testament. aperiant.*; Felinus c. *Cum Joannes*. n. 44. de *Fide instrument.* istud inter alia probans ex l. *Optimam*. § fin. c. de *Contrahend. stipulat.*; Menochius de *Arbitrar. judic.* cas. 105. n. 33; Mascardus, quaest. 6. proem. de *Probat.* n. 68. citans alios.

229. *Alias non sunt exceptione majores, sed minor fides ipsis est adhibenda, judicis arbitrio.* — Altera pars est quidem contra Felinum c. *Insuper*. n. 2. h. t.; Menochius de *Arbitrar. judic.* cas. 106. n. 8; Alexandrum consil. 68. n. 14. vol. 2. et nonnullos alios a Farinacio d. quaest. 60, n. 537. citatos, qui indistincte volunt, testes de universitate plene probare in causis ejusdem. Verum aut hi doctores sunt benigne interpretandi, quod loquantur in casu defectus aliarum probationum, juxta proxime dicta: aut iisdem relictis tenenda est sententia datae conclusionis, quae est aequitati magis consentanea, magisque recepta inter doctores; uti videre est apud Mascardum de *Probat.* concl. 1422. n. 15. et seqq. et Farinacius loc. cit. n. 536. et 538. Ratio est quia, licet agatur de negotio universitatis, nihilominus ob naturalem affectionem, quam membra universitatis erga eam gerere consueverunt ratione utilitatis inde sibi quoquo modo obvenientis, non carent omni suspitione; sicque non mirum, quod caeteris paribus minus eis credatur, ac crederetur, si istae etiam suspitione affectionis carerent. Quamquam in casibus particularibus judicis arbitrio relinquendum sit, quantam fidem mereantur testes de universitate in hujus favore deponentes; uti notarunt Menochius cit. cas. 106. n. 9. et 11; Covarruvias *Pract.*

quaest. cap. 18. n. 4; Mascardus loc. cit. n. 19; Farinacius n. 538. allegans communem.

230. *Testibus de universitate minus creditur in concursu aliorum testium ipsis contradicentium.* — Infertur proinde, quod licet testes de universitate admittantur ad testificandum in ejus favorem; in concursu tamen aliorum testium ipsis contradicentium, seu ab altera parte productorum, et contrarium deponentium, minus illis quam istis credatur: nam illi laborant aliquali suspitione affectionis, non isti; in pari autem causa merito major fides est adhibenda illis, qui etiam hac qualiquali suspitione carent. Abbas cit. c. *Insuper*. n. 2. vers. *Ego putarem*. h. t.; Menochius d. cas. 106. n. 10; Mascardus cit. concl. 1422. n. 17; Farinacius ubi supra, n. 534. allegans alios.

§ VIII.

DE NUMERO TESTIUM AD LEGITIMAM PROBATIONEM REQUISITORUM; ET AN ALIQUANDO SUFFICIAT TESTIMONIUM UNIUS?

231. *Regula est, ad legitimam probationem requiri, et sufficere duos testes.* — Quaeritur I. Quot testes requirantur ad legitimam probationem? Resp. I. Regula est, quod in qualibet causa ad legitimam probationem, plenamque fidem faciendam, requirantur et sufficiant duo testes probatae vitae, omnique exceptione majores; nisi expresse per legem, seu canonem plures in aliqua causa requirantur. Ita Speculator, tit. de *Teste*. § *Restat.* n. 1; Farinacius quaest. 63. de *Testib.*, n. 232. et communis. Idque patet ex l. *Ubi numerus*. ff. h. t. quae canonizata est in can. *Si testes*. § *Ubi numerus*. 4. q. 3. quo utroque in loco dicitur: « Ubi numerus testium non adjicitur, etiam duo sufficiunt. » Concordat textus in c. *Licet universis*. 23. h. t. ubi pontifex inquit: « Mandamus, quatenus si inter vos emerit quaestio, non minus, quam duorum, vel trium virorum, qui sint probatae vitae, et fidelis conversationis, testimonium admittatis juxta illud dominicum (*Matth.*, xviii, 16; et *Deut.*, xvii, 6, et xix, 15.) *In ore duorum, vel trium testium, stat omne verbum.* Quia licet quaedam sint causae, quae plures quam duos exigant testes, nulla est tamen causa, quae unus testimonio (quamvis legitimo) terminetur. » Simile quid habetur c. *In omni*. 4. et c. *Veniens*. 10. h. t. cum concordantiis. Accedit ratio: quia ma-

nifestum periculum subest, ne si unicus homo ad ferendum testimonium admitteretur, is sinistro affectu amoris, odii, timoris, aut hujusmodi perversus, falsum testimonium diceret: duo tamen non tam facile pervertuntur, saltem ut per omnia conformiter loquantur, et falsitas se non prodat, uti patet in duobus illis senibus, quos ex propriis verbis falsitatis convictos fuisse legitur. *Daniel.*, xiii, 1 et seqq.

232. *Et quidem in qualibet causa, tam personali quam ecclesiastica, imo et criminali.* — Atque data regula procedit in qualibet causa, tam profana videlicet, quam ecclesiastica. Siquidem regulae inhærendum est, donec de fallentia constet, seu per adversarium probetur, cur in illo casu regula non loquatur. Glossa in rubric. de *Reg. jur.* in 6. Quinimo data conclusio procedit nedum in causis civilibus, sed etiam in criminalibus: adeo, ut duorum legitimum, et omni exceptione majorum testium dispositio, sufficiat ad convincendum, et condemnandum. Farinacius cit. quaest. 63. de *Testib.* n. 233. Julius Clarus lib. V. *Pract. Criminal.* § fin. quaest. 66. n. 5; Mascardus de *Probat.* concl. 462. n. 1. et alii. Idque probat textus can. *Nullam*. § *Sed hoc*. 2. q. 5. illis verbis: « Quorum vita adeo laudabilis est, ut omnibus imitanda appareat, de quorum assertione nulla dubitatio nasci poterit, eorum testimonio duorum, vel trium testium quilibet jure convinci, et damnari poterit. »

233. *Dummodo illi duo testes sint omni exceptione majores.* — Dicitur notanter in conclusione, « duo testes omni exceptione majores, » sive, ut loquitur allegatus textus, « de quorum assertione, nulla dubitatio nasci poterit. » Secus enim dicendum de aliis testibus minus idoneis, et quibus aliqua exceptio jure opponi potest, et opponitur: nam in causis criminalibus criminaliter motis requiruntur testes omni exceptione majores, omnique suspitione, et macula manifesta carentes, cap. 1. de *Exceptione*. et can. *Testes*. 2. q. 7; Mascardus concl. 460. et 7. Quod ipsum procedit in causis civilibus: nam etiam in his regulariter requiruntur, ac sufficiunt, duo testes omni exceptione majores.

234. *Testium numerus potest supplere ipsorum defectum in causis civilibus.* — Additur « regulariter, » ob nonnullas limitationes, seu fallentias in progressu adducendas. Quod ipsum, loquendo de testibus omni exceptione majoribus, est limitandum, nisi forsitan tes-

tium numerus suppleat ipsorum defectum, atque inhabilitatem: nam quod in causis civilibus inhabilitas testium possit suppleri per eorum numerum, tradit Glossa in l. *Testium fides*. §. *Numerus*, juncto textu ibid. ff. h. t.; Alexander consil. 5. n. 6. vol. 1; Jason. in Auth. *Si vero contigerit*. n. 2. et seqq. c. *de Judiciis*; Mascardus concl. 1359. n. 14. et Farinacius *de Testibus*. quæst. 62. n. 309. et 311. allegans plurimos alios, et communem doctorum.

235. *Secus in causis criminalibus, et civilibus arduis.* — Secus dicendum in causis criminalibus criminaliter motis: nam in his ob gravitatem earum, et periculum majoris præjudicii, adeo requiruntur testes omni exceptione majores, omni suspicione et macula carentes, per jura n. 233. allegata, ut testium numerus eorum defectum, atque inhabilitatem non suppleat. Jason. cit. Auth. *Si vero contigerit*. n. 6. c. *de Judic.*; Baldus c. *Ad nostram*. n. 1. *de Probat.*; Farinacius d. quæst. 63. n. 211. allegans alios; atque n. 213. istud extendens ad causas civiles arduas et graves, utpote quæ æquiparantur criminalibus, juxta dicta superius §. 3. n. 82.

236. *Dantur certæ causæ, in quibus plures, quam duo testes requiruntur.* — Resp. II. Etsi conclusio præmissa regulariter procedat, dantur nihilominus certæ causæ, in quibus plures quam duo testes requiruntur. Ita communis; et patet ex cit. c. *Licet universis*. h. t. ibi: « Licet quædam sint causæ, quæ plures » quam duos exigant testes. Ubi Glossa §. *Quædam*. et Baldus n. 1. et Felinus §. in textu, et alii notant; dari quasdam causas, in quibus non solum requiruntur plures, quam duo testes (quod nullus negat) sed etiam plures, quam tres, ut puta, in testamento, ac hujusmodi.

237. *Notabilis contra hoc proponitur obiectio ex illo: In ore duorum, etc.* — Verum contra istud posterius insurgit Fagnanus in cit. c. *Licet universis*. n. 7. h. t. dicens. Juxta illud Salvatoris jam allegatum, *In ore duorum, vel trium testium stat omne verbum*: ergo repugnat juri divino, ut requirantur plures quam tres; non minus, ac repugnat eidem, quod sufficiat unicus testis. Accedit: quia in allegata decretali solum dicitur, dari quasdam causas, « quæ plures quam duos exigant testes » (hoc enim non repugnat legi divinæ, quæ solum loquitur alternative, *duorum vel trium*, interim relinquens determinationi legum humanarum, in quibus causis

sufficiant duo testes, vel tres sint necessario adhibendi) non autem in citata decretali dicitur, dari aliquas causas, quæ plures quam tres exigant testes. Quinimo istud expresse reprobatur c. *Cum esses*. 10. §. *Quia vero de Testament.* ubi consuetudo exigendi septem testes in testamentis, dicitur esse aliena « a divina lege, et sanctorum patrum institutis, » etc.

238. *Quæ resolvitur?* — Sed his haud obstantibus a data conclusione non videtur recedendum; quæ amplius patebit inductione, enumerando tales causas, in quibus plures, quam tres testes requiruntur, uti patebit ex progressu. Nec obstat auctoritas divina, *In ore duorum vel trium testium, stat omne verbum*. Quia, ut inquit Glossa in cit. c. *Licet universis*. §. *Duorum*, et Baldus ibid. h. t. dictum illud est intelligendum « abnegative, » seu exponendum pro: « id est, non pauciorum: ut sic affirmativa exponatur per negativam. » Concordat illud *Deuteron.* xvii, 6. *In ore duorum aut trium testium peribit, qui interficietur: nemo occidatur uno contra se dicente testimonium*: sicque præmissum ly, *In ore duorum, aut trium testium*, claris verbis exponitur abnegative. Hoc ipsum fit, atque repetitur *Deuteron.* xix, 15.

239. *Dictum illud, In ore duorum, etc., qualiter intelligendum?* — Deinde dictum illud procedit regulariter: limitatur tamen in casibus, ubi per leges humanas justis de causis, seu ad præcavendum diversis fraudibus hominum, plurimum testimonium requiritur. Neque istud est prohibitum jure divino, eo quod de tali prohibitione non constet. Quinimo illa ipsa auctoritas divina, etiam abnegative intellecta, patitur limitationem in causis nulli præjudicialibus, et nonnullis aliis, in quibus sufficere testimonium unius, infra n. 254. 258. et seqq. dicitur: ergo pariter, imo a fortiori, potest limitari, ut in certis causis ex rationabili dispositione legum humanarum requirantur plures quam duo, aut tres testes.

240. *Consuetudo adhibendi septem testes in testamento, qualiter dicatur esse a lege aliena divina.* — Ad c. *Cum esses, de testament.* longiori opus foret responsione: pro nunc sufficiat dicere; consuetudinem adhibendi septem testes in testamento juxta præscriptam legum civilium, ibidem dici a « lege divina alienam: » non quidem positive, quasi sit contra legem divinam, hujusque prohibitionem; sed negative, quia est præter legem

divinam, neque ab hac fuit præcepta. Neque cuiquam mira videatur hæc responsio: nam hac ipsa ratione in §. *Jus autem gentium*. Instit. *de Jur. natur. gent. civil.* bella, captivitates et servitutes, dicuntur « juri naturali contrariæ; » prout dictum in præmio, lib. 1, §. 1, n. 22.

241. *In purgatione canonica plures requiruntur testes: et cur?* — Resp. III. Inter casus illos, qui de jure canonico plurimum, quam duorum, vel trium requirunt testimonium, potissimum sunt sequentes. *Primo*, in purgatione canonica: nam in purgatione episcopi requiruntur testes duodecim; can. *Omnibus*. §. *Ipsæ vero sacerdos*. 2. q. 5. juncto cap. 1. et c. *Quoties de Purgat. canon.* Et in purgatione presbyteri, septem; et in purgatione diaconi, tres; can. *Si legitimi*. ead. caus. 2. q. 5. nec mirum, quod plures testes in purgatione canonica requirantur: hi enim solum deponunt, ac jurant ex credulitate, seu juramento crimen sibi objectum, verum jurasse, cit. c. *Quoties*. et c. *De Testibus, de Purgat. canon.*

242. *In causa divortii, ob impotentiam viri, septem requiruntur testes.* — *Secundo*, in causa divortii, ob impotentiam viri inter conjuges instituendi, requiritur quod uterque, tam vir nimirum quam mulier, cum septima propinquorum, vel vicinorum manu juret, quod invicem cohabitaverint, et tamen nunquam per carnis copulam una caro effecti fuerint, can. *Requisivisti*. 34. q. 1. et c. *Laudabilem*. 8. et c. *Litteræ*. 7. *de Frigid. et maleficiat.*

243. *Ad condemnationem episcopi cardinalis requiruntur septuaginta duo testes.* — *Tertio*, in can. *Præsul.* et can. *Nullam*. 2. q. 4. ad condemnationem episcopi cardinalis requiruntur septuaginta duo testes; et quadraginta quatuor ad presbyterum cardinalem, et septem ad subdiaconum, acolytum, etc. dammandum. Quamquam Gratianus in fine cit. can. *Nullam.* et Abbas c. *licet*. n. 4. h. t. post Hostiensem ibid. asserant, canones allegatos loqui de testibus non integris, sive de scientiæ, « qui cum sint non spectatæ vitæ et scientiæ, » improbe nonnunquam in accusationem ministrorum Dei repente prosiliunt: alias vero sufficerent duo, vel tres testes, si sint omni exceptione majores; « quorum nimirum vita adeo laudabilis est, ut omnibus imitanda appareat, de quorum assertione, nulla dubitatio nasci poterit, » prout loquitur Gratianus loc. cit. §. *Sed hoc*.

244. *De consuetudine istud non servatur in practica.* — Verum, quidquid sit de rigore juris communis, quod dispositio cit. can. *Præsul.* 2. q. 5. de consuetudine non servetur hodie in practica: testatur Gul. Clarus in *Pract. crimin.* lib. V. §. fin. quæst. 66. n. 5; Pirhing h. t. n. 108; Farinacius, quæst. 63. *de Testib.* n. 244. allegans alios, et communem.

245. *Ad inspectionem privilegiorum, quot testes sufficere debeat?* — *Quarto*, ad inspectionem privilegiorum, quæ redarguuntur de falso, debet quis esse contentus duodecim hominum numero, c. *Accepimus*. 4. §. fin. *de Fide instrument.*

246. *De jure civili requiruntur in testamentis septem testes, et quinque in codicillis.* — *Quinto*, de jure civili in testamentis requiruntur septem testes, l. *Hac consultissima. C. de Testament.* Et quinque testes in codicillis, l. ult. *C. de Codicill.* et alibi. Similiter requiruntur quinque testes in donatione facta causa mortis, l. ult. *C. de Donation. caus. mort.* Tacentur plures alii casus, in quibus ad legitimam probationem plures requiruntur testes, quam duo: de quibus fuse agit Speculator, tit. *de Teste*. §. *Restat*, n. 1 et seqq. universim viginti duo tales casus enumerans; et Farinacius *de Testib.* quæst. 63. n. 239. et seqq. allegans alios.

247. *Testimonium unius, quantumvis legitimum, regulariter non probat, neque sufficit ad decisionem causarum.* — Quæritur II. Utrum probet, vel quid aliud operetur testimonium unius? Resp. I. Testimonium unius, quantumvis legitimum, contra alterum regulariter non probat, neque sufficit ad decisionem causarum. Ita Glossa fin. in c. *Licet universis*. 23. h. t.; Speculator, tit. *de Teste*. §. *Restat*. n. 8. et seqq.; Mascardus *de Probat.* quæst. 11; præm. n. 2. et seqq.; Farinacius cit. quæst. 63, n. 50. ac seqq. et alii. Conclusio hæc patet ex cit. c. *Licet universis*. h. t. ubi dicitur: « Nulla est tamen causa, quæ unius testimonio, quamvis legitimo, terminetur. » Ubi Glossa istud esse verum, inquit, « in præjudicium alterius: » quod merito additur ob casus infra n. 258. excipiendos. Concordat c. *Veniens*. 10. h. t. ibi: « Nec unius testimonium ad condemnationem sufficiat alicujus: » junctis concordantiis ibidem a Glossa finali citatis. Hinc can. *Admonere*. 33. q. 2; Stephanus Papa V. generaliter inquit: « Nec Evangelium, nec ulla divina, humanaque lex unius testimonio etiam idoneo

quempiam condemnat, vel justificat : » cum similibus.

248. *In quacumque dignitate is sit constitutus.* Vox unius, vox nullius. — Et hoc intellige de uno teste, in quacumque dignitate sit constitutus, can. *Si testes.* § *Jurisjurandi.* 4. q. 3. et l. *Jurisjurandi.* C. de *Testib.* ibi : « Manifeste sancimus, ut unius omnino testis responsio non audiatur, etiamsi præclaræ curiæ honore præfulgeat. » Ubi proinde summarium refert illud vulgatum : « Vox unius, vox nullius. » Concordat c. *Cum a nobis.* 28. de *Testib.* ubi Papa « districtius inhibet, ne unius judicis, quantæcumque auctoritatis fuerit, verbo credatur in causis, sive super testamentis, sive quibuslibet aliis contractibus quæstio agitetur. Nec scriptum eorum (nisi testium adminiculo fulciatur) eam obtineat firmitatem, quin ei possint, et debeant, duorum vel trium testium bonorum testimonia prævalere : salva in omnibus Sedis apostolicæ auctoritate. » Hæc ibi.

249. *Idque procedit etiam de jure divino.* — Atque istud procedit non solum de jure humano, civili, et canonico, sed etiam de jure divino, juxta illud Salvatoris, *Matth.*, xviii, 16; *Deut.*, xvii, 6. *In ore duorum, vel trium testium stat omne verbum.* Quod esse intelligendum abnegative, seu exponendum pro ly, « non pauciorum, » paulo superius num. 238. jam dictum fuit, atque probatum ex illo *Deut.*, xvii, 6. *Nemo occidetur uno contra se dicente testimonium.* Sigism. Scaccia lib. II. de *Judiciis*, cap. ix. n. 381. et 392. et seqq. istud intelligens de causis, in quibus agitur de magno præjudicio; Farinacius cit. quæst. 63. n. 2. et 3. allegans alios; atque hoc amplians ad testem senatoria, aut præsidialia dignitate fulgentem, juxta c. *Licet ex quadam.* 47. h. t.; Abbas c. *Cum a nobis.* n. 1. h. t. asserens, quod excepto Papa (utpote quem solum textus ibidem excipit) nulli credatur in præjudicium alterius; quantæcumque fuerit auctoritatis, etiam cardinalitiæ.

250. *Testimonium unius non caret omni effectu, quia inducit præsumptionem.* — Resp. II. Etsi testimonium unius faciat plenam fidem, neque solo sufficiat ad terminationem causarum, ut dictum; nihilominus illud non caret omni prorsus effectu. Ita communis; ac patet inductione. Sic quippe testis unus inducit præsumptionem. Glossa fin. c. *Licet universis.* h. t.; Speculator, tit. de *Teste.* § *Restat.* n. 11; Mascardus, de *Probat.* quæst. proœm. 44. n. 4. Farinacius d. quæst. 63. n. 50. alle-

gans alios. Idque patet ex l. 1. fin. ff. « Quem admodum testament. aperiant. » ubi dictum unius testis, sigillum suum negantis se agnoscere, reddit suspectas tabulas testamenti, licet eas non prorsus infringat.

251. *Et facit indicium sufficiens ad inquirendum, et citandum, et ad torturam.* — Deinde unius testis integri depositio facit indicium sufficiens ad inquirendam, et citandum, imo et ad torturam. Scaccia lib. I. de *Judic.* cap. lxxxiv. n. 7. post Romanum consil. 451. n. 4. et Vivianum in suis *Commun. opinion.* §. *Testis unicus.* Jul. Clarus in *Pract. crimin.* lib. V. § fin. quæst. 21. n. 2. allegans communem.

252. *Unus testis legitimus facit semiplenam probationem.* — Tertio, unus testis legitimus facit semiplenam probationem. Glossa in l. 3. §. *Decidi oportet.* c. de *Rebus creditis.* Jason in *Repet.* l. *Admonendi.* n. 178. ff. de *Jurejurand.* Mascardus cit. quæst. 41. n. 3. Quia si duo faciunt plenam probationem; ergo unus semiplenam, prout argumentatur Glossa cit. loc. allegans diversa jura. Atque hinc ulterius fit, quod judex possit deferre juramentum suppletorium illi, pro quo stat semiplena probatio : saltem in defectum aliarum probationum, l. *Si duo.* § 1. ff. de *Jurejurand.* ac suo loco amplius dicitur.

253. *An in nullo prorsus casu sufficiat testimonium unius ad plenam probationem, seu terminationem causarum? Ratio dubitandi et negativam tenendi, proponuntur.* — Queritur III. Utrum in nullo prorsus casu sufficiat testimonium unius ad plenam probationem, seu terminationem causarum? Ratio dubitandi, ac negativam tenendi, desumitur ex jam allegato dicto Salvatoris *Matth.*, xviii, 16. *In ore duorum, vel trium testium stat omne verbum :* quod esse intelligendum abnegative, hoc est, ut non sufficiat verbum pauciorum, jam supra dictum est. Accedit illud c. *Licet universis.* 23. h. t. ubi pontifex indistincte inquit, quod « nulla est causa, quæ unius testimonio (quamvis legitimo) terminetur, » cum similibus. Verum his non obstantibus,

254. *Dantur nonnulli tales casus.* — Resp. I. Dantur nonnulli casus, in quibus dictum unius testis plene probat, seu tantam fidem facit, quanta sufficit ad decisionem causarum. Ita Speculator, tit. de *Teste.* § *Restat.* n. 8. et seqq. triginta tales casus enumerans; Card. Tuschus litt. T. concl. 281. addens plures alios casus; Felinus c. *Veniens.* il. 1. n. 18. et seqq. h. t. Baldus c. *Licet univer-*

sis. n. 4. eod.; Mascardus cit. quæst. 41. proœm. n. 42. et seqq.; Farinacius d. quæst. 63. n. 18. et seqq. citans complures alios. Concordant dicta superius tit. præced. § 3. n. 61. et seqq. ubi plures enumerantur casus, in quibus terminandis non requiritur plena, et necessario concludens probatio, sed sufficit semiplena, vel alia ex indicis, atque conjecturis deprompta admittitur : unde consequens est, quod in ipsis etiam sufficiat testimonium unius fide digni testis, cum istud cæteroquin faciat semiplenam probationem.

255. *Solvuntur rationes dubitandi.* — Non obstant rationes dubitandi proxime adductæ. Nam dictum Salvatoris : *In ore duorum,* etc. sicut et c. *Licet universis.* h. t. utpote fundans se in relata auctoritate divina, loquitur de causis arduis et gravibus, in quibus agitur de magno præjudicio : puta, in criminalibus, ubi agitur de inferenda morte, juxta illud jam allegatum *Deuter.*, xvii, 6. *Nemo occidatur uno contra se dicente testimonium :* et in causis civilibus arduis, magnique præjudicii, eo quod hæc æquiparentur criminalibus, juxta dicta superius § 3. n. 82. prout respondet Glossa fin. in cit. c. *Licet universis.* h. t. ad verissimam esse solutionem, inquit. Sigism. Scaccia lib. II. de *Judic.* c. 9. n. 392. Secus ergo dicendum de aliis causis, in quibus vel de nullo, vel saltem non de gravi præjudicio alterius agitur.

256. *Papa non potest tollere jus divinum, bene tamen interpretari. Atque ex certis causis statuere, ut credatur uni testi.* — Accedit, quod etsi summus pontifex non possit tollere jus divinum, neque in eo dispensare; imo teneatur illud usque ad animam, et sanguinem confirmare, can. *Sunt quidam.* 25. q. 1. Nihilominus potest is jus divinum interpretari, atque ex certis et urgentibus causis et interpretando limitare; prout amplius dictum est, lib. I. tit. II. de *Constitutionibus.* § 48. n. 455. et seqq. Ergo etiam Papa potest ex certis causis, et pro aliquibus controversiis definiendis statuere, ut credatur uni testi, eique plena fides adhibeatur, sufficiens ad decisionem causarum : ut puta, in rebus nullius, aut modici præjudicii, vel quando agitur de impediendo peccato, et hujusmodi. Abbas c. *Nuper nobis.* n. 4. et Felinus ibid. n. 3. h. t.; Farinacius cit. quæst. 63. n. 44. et 42. et Scaccia d. lib. II. quæst. 9. n. 380. allegans alios, atque hanc appellans communem, et veriore opinionem.

257. *An hoc ipsum possint statuere alii prin-*

cipes superiorem non recognoscentes? Et quid de consuetudine particulari locorum? — Et hoc ipsum præcitati auctores extendunt ad alios principes superiorem non recognoscentes. Licet enim isti generaliter et pro omnibus causis, etiam arduis, magnique præjudicii statuere non possint, ut unico testi plene credatur (obstat enim jus naturale, ac divinum jam relatum) possunt tamen in aliquibus negotiis, atque ex certis causis statuere, ut unico testi cæteroquin idoneo, ac jurato, vel in magna dignitate constituto, plena fides in judiciis adhibeatur. Atque istud confirmatur ex can. *Quicumque.* et can. *Omnes itaque.* 11. q. 1. ubi Theodosius imperator decrevit : « ut testimonium, ab uno licet episcopo perhibitum, omnes judices indubitanter accipiant, etc. Et quod hic dictum est de principe, extenditur etiam ad civitates superiorem non recognoscentes, harumque statuta; sicut et ad particulares consuetudines locorum. Farinacius, ubi supra, citans alios.

258. *Uni testi plene creditur, quando non agitur de alterius præjudicio.* — Resp. II. Inter casus, in quibus uni testi, cæteroquin legitimo, ac jurato plene creditur, potissimum numerantur sequentes. Primo, uni testi plene creditur, quando non agitur de alterius præjudicio. Ita Glossa in c. *Nuper.* §. *Nisi juratus.* h. t.; Felinus c. *Veniens.* il. 1. n. 18. eod.; Abbas in c. *Proposuiti.* de *Consecr. Ecclesiæ.*; Jason l. *Legatum est ita.* n. 20. ff. de *Legatis.* I. et alii.

259. *Putat, quod aliquis sit baptizatus, ordinatus, Ecclesia consecrata.* — Sic per unum testem plene probatur, quod aliquis sit baptizatus, can. *Parvulos.* et can. *Cum itaque.* de *Consecr.* dist. 4. Similiter per unum testem probatur, quod aliquis sit ordinatus, vel quod Ecclesia sit consecrata; ac similiter sacerdotium, vel doctoratus potest probari per unum testem juratum, qui interfuit : siquidem in istis casibus depositio testis nemini præjudicare solet, bene tamen prodesse illi, pro quo fit. Glossa fin. in c. *Nuper.* h. t. id amplians ad casum, quo quis vult probare, se egisse poenitentiam, per confessarium suum. Speculator tit. de *Teste.* § *Restat.* n. 8. Baldus c. *Licet universis.* n. 4. h. t.; Mascardus cit. quæst. 41. n. 14. et alibi; Jason cit. l. *Legatum est ita.* n. 20. ff. de *Legat.* I; Farinacius cit. quæst. 63. n. 26. et alii.

260. *Dummodo probatio, v. g. clericatus nemini præjudicet : alias secus.* — Aditur notanter, « nemini præjudicare solet, » etc.